

propemodū (naufrahijs uelut) interijissent, Pater qui secundo anno natus est post Regiomontani obitum, tabulas operum eorum fluctuantes recollegit, recollectasq; posteritati commendauit. Et enim integra uolumina extant à Regiomontano conscripta quidem, sed ab eo ob præmaturam mortem non edita, quæ tamen pater meus in publicum emisit, ne doctissimi uiri Regiomontani in his artibus illustrandis opera perirent. Ita pater meus non solum suis laboribus has artes euexit, sed etiam, dum Regiomontani & aliorum opera ab interitu uindicat, & posteritati tanquam secundus autor donat, eas restituit.

His ego patris mei immensis studijs & laboribus in has artes ampliandas colatis, sum admonitus, ut monumentorum suorum partem, quæ habet doctrinam, de quibusdam organis Astronomicis in unum uolumen comprehenderem, & simul in lucem emitterem.

Est enim utile inter reliquas difficultates harum artium mentem ea re iuari, ut possit uno intuitu cogitationes artificum introspicere, sic enim mens lectoris non diffracta, sed unita intentius suis conatibus & scrutationibus est dedita. Et prodest iuuentutem introspicere uestigia præceptorum, ut assuefiat ea Methodo ad artes percipiendas, qua præceptores eas tradiderunt.

Et quantum mihi licet uidere præ huius ætatis meæ iuuenilis tenebris, conijcio patrem non in his uoluminibus edendis tantum fuisse utilem posteritati, sed etiam suorum inuentione, & institutione iuuentutis, tum demum doctrina uiuæ uocis eum multum illustrasse has artes, Quin etiã prædictionibus mutationum auræ, euentuum Meteororum, terra nascentium, annonarum, humanarum deniq; actionum eum ita fuisse ἐὺς ὄρον (quod ex uiris doctis & iudicijs ualentibus audio) ut per eum fidem his artibus reuocatam esse censendum sit. Iudicauitq; pater meus has artes de coelo, deq; siderū motibus & naturis propagandas, & per se expetendas homini esse. Cū eum admoneant de conditore, & de conditoris immensa bonitate, quæ in eis elucet, Deinde cum admoneāt hominem de sua conditione, & de suo officio, licet interim annum & periodos lunæ nobis definiant, tum uero etiam Eclipses, ortus & occasus, dierum quantitates in omnibus, & diuersis quidem terræ habitationibus nobis indicent, ac ad Geographiæ doctrinam uiam aperiant.

Non igitur sunt audiendæ Cyclopicæ minæ, quibus bonæ mentes aueruntur ab amore cognoscendarum artium de sideribus docentium, & impelluntur ad uoluptates monstrosas. Quin potius in hac naturæ humanæ caligine inclinationes à natura insitæ ad operum diuinorum considerationem sunt alendæ & excolendæ, estq; bonis motibus in natura indulgendum, etiam si curæ obstant quandoq;. Quemadmodum & hic Silenus à Poëta introducitur. Qui licet ipse quoq; curis huius uitæ & imbecillitate teneatur, tamen interim indulget naturæ suæ motui, ac oculos ad astra dirigit. Nec ueretur quicquam Cyclopi minas, sed fatetur ingenue actionem suam in astris inspicendis.

Apud Plinium est Greges Elephantorum in Mauritanix saltibus ad amnem quendam, cui nomen est Anulo, descendere, nitescere noua Luna, ibiq; se purificantes solenniter circumspergi, atq; ita salutato sidere in syluas reuerti. Hæc natura si brutis inest, quanto magis eam homini inesse conuenit, ut astra non modo intueatur, sed etiam ueneretur, cum ad cognitionem siderum sit conditus. Qua de causa etiam beneficio erectæ staturæ adiuuatur, ut sit sideribus contrapositus, atq; ita inuitetur ad eorum contemplationem.

« iij Hanc